

3133

## LITURGICI

3134

## DCCCXCII.

783 Codex membraneus belg. Sec. XV. Folior. 109. 8. eleganter exaratus, auro et coloribus distinctus, tribusque iconis picturatis, rudioribus tamen instructus inter sic dicta *Horaria* referendus est; continet enim Officium de S. *Cruce*, de B. V. *Maria*, VII. *Psalmos* dictos de *Poenitentia* cum *Litaniis*, et *Vigilias* Defunctorum. Mensium in praefixo *Calendario* haec sunt nomina: *Loumaent. Sporkille. Maerte. Aprille. Mey. Wedemaent. Hoymaent. Hogstmaent. Gberstmaent. Saetmaent. Horemaent. Smeamaent.* *Calendarium* istud parum populosum est; cum vero inter alios *Belgii* Sanctos ad diem 1: *Ostobr.* habeatur *S. baue misse*, idemque *S. Bavo* in *Litaniis*, praetermissis aliis, invocetur, *Codicem* ad *Gandavensem* aut *Harlemiensem* Viciniam pertinuisse conjicio. Nomina *Feminarum*, quarum quondam *κτῆμα* fuit, in calce adscripta, quoniam plebeja fuisse videntur, praetereo.

## DCCCXCIII.

970 Codex membraneus lat. Sec. XVI. ineuntis, Folior. nunc 117. 8. eleganter exaratus, et praeter literas initiorum deauratas, depictasque Iconibus X. ornatus inscribitur: *Hore beate marie virginis secundum usum sacri monasterij sancti petri latigniacensis.* Est vero Coenobium istud O. S. B. conditum Sec. VII. a B. *Furseo*

*Hiberno* ad fl. *Matronam* sex supra *Parisios* leucis, vulgoque *Lagny* dicitur, de quo videnda *Gallia Cbrist. T. VII. col. 490.* Hinc Icon prima Monachum *Benedictinum* exhibet adstantem illi *Cbristi* repraesentationi, quam *Ecce Homo* adpellare solent. Inferne Scutum caeruleum visitur cantherio aureo, tribusque per areas liliis, ut videtur, argenteis insigne, quod, quo referam, nescio. Insunt porro: *Calendarium*, in quo miniati 17. Jan. *S. Furseus abbas.* 9. Apr. *Maldegarius conf.* idem fortasse, quem Autores *Artis verificandi Dat.* in Catalogo SS. p. 162. edit. *Paris.* 1770. f. *Madelgarium*, five *S. Mauger*, *Madelgair* vocant, Martyrologio *Rom.* ignotus, 7. Maji *Exceptio corporis s. floren.* id est *Florentini* mart. cujus reliquias *Arnulfus* abbas a. 1094. *Latiniacum* transtulit, ut habes *Gall. cbrist. cit. col. 494.* 20. Maji *Latigniaci commemoratio reliquiarum.* 21. Jun. *Deodatus ep. et conf.* 1. Jul. *S. Theobaldus.* 18. Sept. cui idem *Arnulfus* Templum prope *Latiniacum* extruxit, *Lambertus ep. et conf.* 28. Sept. *S. Florentinus* et *Hylarius* cum octava. 11. Oct. *Anfilio conf.* mihi ignotus. 15. Nov. *Fulbertus ep. et conf.* Sequuntur Initia IV. Evangeliorum partim evulsa, Officium de B. V. M. *Psalmi Poenitentiales* cum *Litaniis* OO. SS. in quibus praeter jam memoratos invocantur *Foilanus, Piatus, Karagnus*, martyres, *Emilianus* al. *Emmianus, Faro, Mumbolus, Vltanus, Fiacrius,* Agi-

3135

## C O D I C E S

3136

*Agilus* conf. *Solina*, *Pbara*, *Baltidis* virgines fatis peregrini paene omnes. Finem imponit Officium pro Mortuis. Theca anterior in folio typis excuso prioris Seculi possessorem prodit *Antonium de Lamare D. de Cheneuarin*, cujus Stirpis Scriptores duos novimus *Nicolaum* et *Pbilibertum*, additis cum descriptione *heraldica* ejus Insignibus aeri incis.

## DCCCXCIV.

498 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 200. 4. caractere grandi, eoque nitidissimo exaratus, literis initiorum coloribus auroque adumbratis, titulisque miniatis, est *Horarium*, scriptum, ut videtur, in *Augustana* Dioecesi, nam in *Calendario* praevio ad diem 4. Julii rubro legitur: *In Augusta Vdalrici episcopi*, ad diem 7. Aug. *In augusta affre martyris*, ad diem 12. *In Augusta Hylarie et ali.* ad diem 6. Sept. *Magni abbatis*, ad diem 22. *Mauricii et soc.* ad diem 28. *Dedicatio matricis ec. Aug.* ad 29. Oct. *Narcissi episcopi et martyris*. *Calendarium* sequuntur *Excerpta Evangeliorum*, ut *Cod. DCCCLXXI*. *Passio Christi* secundum *Johannem*. *Officium*. B. V. M. *Psalmi Poenitentiales* cum *Litaniis*. *Officium pro Defunctis*. *Officium de S. Cruce*. *Orationes* variae ad Deum et *Coelites*, item ante et post *Eucharistiae* functionem *perfolvendae*. *Maximum Codici ornamentum* accedit a *nitidissimis Picturis*, quarum sex finitae

sunt, una inchoata, ductibus tantum linearibus designata altera. Quae exhibentur, haec sunt: *Johannes* in lebeta olei, *Christus* orans in monte *Olivet*, *Salutatio Virginis Angelica*, *Ejusdem* *Visitatio*, *Corpus Christi* *Sepulchro* inferendum, *David* *Populi* pestilentiam deprecans, *Servator* *cruci* adfixus adstantibus *Suis*, et *Ejus* in *Jordane* *Baptismus*. *Margines* *παραγραφα* ornant, saepe parum pertinentia; ita *Pueros*, quibus *efformandis* maxime *studuisse* videtur *Artifex*, *musicos*, *venatores*, *lusores* videas. *Fol.* 82. *Christo* *crucem* *bajulanti* *obponitur* *triumphus Romanorum*, insignitus anno *MDXXIII*. qui annus operis conditi credendus, quamvis ultimam illi manum non impositam fuisse, praeter dicta testantur *Folia* aliquot *vacua* *Picturis* destinata et complures *Litterae* initiorum *solis* ductibus *indicatae*.

## DCCCXCV.

Codex membraneus lat. Sec. 85<sup>a</sup> XII. Folior. nunc 188. 8. est enim utrinque mutilus, luculente et eleganter perscriptus, rubricisque enotatus *sacras Precationes* continet, quarum praecipuae partes sunt: *Cursus de Spiritu sancto*, et *de VII. donis spiritus sancti*. *Prior* *Feminae* est; orat enim: *ut talis inueniar in eius iustissima examinatione, qualis facta sum in lauacro felicissima regeneratione. ut eius medicamine imbuta, sacrosancti lauacri ablutione lota, bonisque operibus decorata ad eterna gaudia perv-*